

**Dissertatio inauguralis medico-practica de fluore albo / [Johann Conrad Eppli].**

**Contributors**

Eppli, Johann Conrad.  
Beringer, Johann Ludwig Christian.  
Universität Heidelberg.

**Publication/Creation**

Heidelberg : J.J. Haener, 1739.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dxq4sfgg>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



7  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO-PRACTICA  
DE  
FLUORE ALBO

QUAM  
AUSPICE SUPREMO NUMINE  
CONSENTIENTE GRATIOSA ET AMPLISSIMA  
FACULTATE MEDICA  
IN PER ANTIQUA ELECTORALI UNIVERSITATE  
HEIDELBERGENSI

PRÆSIDE  
D. JOAN. LUDOVIC. CHRISTOPH.  
BERINGER,

Philosophiæ & Medicinæ Doctore, ejusdémque Profes-  
sore Publico & Ordinario, Facult. Medicæ h. t. Decano,

PRO LICENTIA  
LITERATORUM EXAMINI  
SUBMITTIT  
JOHANNES CONRADUS EPPLI  
Dieffenhoffio-Helvetus

Die Mensis Martii  
Anno Reparatae Salutis MDCCXXXIX.

HEIDELBERGÆ,

Ex Typographejo Academico per Joannem Jacobum Hæner.



DEO,  
PATRIÆ,  
PATRONIS.  
ET  
AMICIS.





Q. D. B. V.

## CAPUT PRIMUM.

*Exhibens fluoris albi descriptionem,  
differentiam, signa & subiecta.*

§. I.



Luor albus est excretio humoris pituitosi plerumque albicantis, & non nunquam alius coloris plus minus, corrupti, ut plurimum inodori, extra mensium tempus, è genitalibus mulierum per vaginam uteri profluentis, certasque subinde periodos observans. Aliis vocatur Fluxus muliebris, Fluor uterinus, menstrua alba, Gonorrhœa muliebris &c. Sed, me iudice, minus aptæ sunt hæ denominationes, dum iis fluor albus cum aliis morbis uterinis confunditur, uti fusius §. 2. 3. 4. demonstrabo: vel leucorrhœa, à verbis græcis λευκός, albus & ῥέω fluo, germanice **der Weiße Fluss** nuncupatur.

§. II.

Differt Fluor albus à mensibus decoloratis, siquidem  
1. hi semper ostendunt sanguinis vestigia, dum in iis ali-  
qua-



qualis rubedo nunquam non apparet, in Fluore albo verò nihil tale observatur.

2. Fluor albus non rarò est continuus, vel saltem vagus, sicut menstrua etiam decolorata suas periodos, quamvis plerumque inordinatè, servant.

3. Dantur fœminæ, quæ & Mensium fluxu, & fluore albo vexantur, ita quidem ut hic semper ante, vel post mensium periodum sese ostendat.

4. Fluor albus affligit promiscuè infantes aliquot saltem annorum, virgines mensium obstructione laborantes: gravidas, & vetulas, quæ ob ætatem menstruas purgationes non ampliùs patiuntur, imo non rarò succedentibus mensibus ordinatis cessat hic fluxus.

### §. III.

Differt etiam Fluor albus à Gonorrhœa, hæc enim vel benigna est, vel maligna; Benigna nihil aliud est, quam continuus & involuntarius feminis effluxus, à nimia partium semen continentium relaxatione proveniens, Fœminæ verò, præter ovula, nullo semine propriè gaudent, quare etiam gonorrhœæ benignæ propriè dictæ, non sunt obnoxie. A maligna verò seu virulenta gonorrhœa difficulter sæpe dignoscitur fluor albus, imprimis inveteratus, qui si à contagio venereo fuit ortus multum habet convenientiæ cum gonorrhœa virulenta, à qua tamen differunt reliqui fluoris albi gradus i. dum gonorrhœa virulenta à miasmate q̄eo per impurum coitum, vel aliam cum fæda hac lue infecto communicationem, in corpus recepto, ortum trahit, Fluor albus autem castissimas etiam fœmellas ad oritur, neque contagiosus est.

2. In gonorrhœa virulenta effluit è genitalibus materia tetri coloris flavo-viridescens, ut plurimum fœtida, acris & partes genitales, cum insigni dolore, & ardore erodens;



dens ; floris albi verò materia est albuginea, & mucida, neque fætida , neque acris, nisi in inveterato vel incongruè suppressio materia corrumpatur, & quasi putrescat.

3. Gonorrhœa virulenta continuò , etiam cum ipsis mensibus fluit ; fluor albus verò quamvis aliàs continuus sit, tamen apparente fluxu menstruo, saltem ad tempus evanescit.

#### §. IV.

Præterea quoque distingui debet fluor albus à pure, quod non rarò ex uteri ulcere profluit ; dignoscitur autem ulcus ex signis ulcerum , febre Sc. inflammatoria cum dolore inguinum profundo acerbo, punctorio, lancinante , excreto simul continuo pure , vel laudibili, vel ichoroso, interdum sanguine, vel etiam carunculis permixto , quæ omnia in fluore albo non deprehenduntur, nisi forte fluor inveteratus, vel malè tractatus exulcerationem uteri, & ejus vaginæ induxerit.

#### §. V.

Commodè quoque à plerisque Authoribus tres gradus floris albi numerantur ; primus & levissimus est, quando Massa quidem humoralis benè constituta est, sed ob atoniam uteri & imprimis glandularum ejus, à causa vel in- vel externa inductam, hæ flaccidæ suum serum dimittunt, sicque fluorem album non adeò incommodum, neque periculosum efficiunt, & hic propriè veteribus dictus fuit *fluor uterinus*, quoniam hìc solus uterus patitur. Alter verò gradus est, quando non solùm uterus supra dicto modo affectus, sed simul totum corpus cachecticum est, postquam M. Humoralis, imprimis serum sanguinis, seu lymphæ vel abundat, vel viscida & corrupta est ; quo casu non solùm fluor copiosior est, sed & cum dolore dorsi & lumborum , corporis extenuatione, febre lenta, Dyspnœa , & innummeris aliis symptomatibus conjunctus ; Hic Fluoris gradus à veteribus vocabatur



batur *Profluvium muliebre*, quia totum mulieris corpus, vel saltem tota massa humoralis hoc fluxu per uterum expurgatur. Tertius denique gradus est, quando prægressis supra memoratis pathematibus, humores totius corporis jam vappidi tandem acorem inducunt, quo uterus exulceratur, Tabes vel Hydrops inducitur, effluens per uterum materia ulcerosa, putrida, foetida & acerrima, genitalia cum ingenti dolore arrodit & exedit, atque tandem supervenientibus animi deliquiis, vel convulsionibus vitæ finem imponit.

### §. VI.

Signa hujus Affectus ex supra dictis jam patent; sunt sc. in primo gradu sequentia:

1. Ante vel post ordinarium mensium fluxum è genitalibus effluit humor albicans, plus minùs mucosus, inodorus, neque acris.
2. Sentitur aliqualis corporis lassitudo, cum lumborum dolore; quæ leviora pathemata tamen sine insigni incommodo diu ferunt fœminæ.
3. Superveniente fluxu menstruo fluor albus cessat, finitis mensibus rediturus.

Signa secundi gradus sunt:

1. Effluxus materiæ pallidæ, & viscidæ, fit copiosior, & diutiùs durat; menses paulatim imminuuntur, & tandem cessant, fluor albus autem fit continuus.
2. Totum corpus apparet cachecticum, facies fœda fit, & livida.
3. In lumbis, & osse sacro dolor sentitur urens, tendens, cum corporis lassitudine, Cardialgia, Dyspnœa, & nausea jejuno ventriculo molesta.
4. ☐ est turbida, jumentorum similis, ab HIPPOCRATE Asinina dicta.



Tertium, & summum floris albi gradum indicant, præter supra recensita accidentia :

1. Fluxus sensim auctus materiæ diversi coloris, foetentis & acris, quæ sua acrimonia uterum, & genitalia corrodit, & exulcerat, unde tandem sanguinis grumi cum pure & carunculis excernuntur.
2. Intolerabiles percipiuntur dolores in hypochondriis, circa pubem, & anum.
3. ☐ non sine dolore emittitur, vel plane supprimitur, alvus est adstricta, cum summa virium debilitate, tabe & febre hectica.
4. Interdum supervenit hydrops, vomitus biliosus, convulsiones, vel lipothymia, quæ tandem ægram è medio tollunt.

§. VII.

Subiectæ sunt huic fluxui omnis ætatis & conditionis scemellæ. *In infante duorum annorum hunc fluxum se vidisse testatur NENTERUS in Fundam. Med. Puellam trium annorum hoc morbo afflictam narrant SCHNEIDERUS l. de Catharr. & HOCHSTETT. in observ. Filiolam VI. annorum, aliam VII. VIII. item IX. annorum hoc fluxu laborasse recensent. FERNELLUS l. de Morb. & sympt. FRIDEL. expediter und bewährter Medicus & MANGET. in Biblioth. Med. præct. RODERICUS à CASTRO scribit, se in Hispania & Germania virgines curasse, quæ per triennium ante mensium fluxum, hoc malum passa fuerunt. Imo FRIDELIUS libro supra citato refert hunc morbum certis nationibus endemium esse. Virgines, & viduas phlegmaticas, ex turbato mensium fluxu, & cogitationibus & fluorem album benignum facile contrahere, quotidiana docet experientia. Imprimis tamen sceminæ circa illud tempus, quo menses naturaliter cessare solent, huic morbo sunt obnoxia. Vid. HIPPOC. de Morb. Mulier. uti & illæ, quæ ex*



impura cohabitatione cum lue venerea infectis malignum miasma utero exceperunt, & inde fluxum album malignum reportârunt. Nec gravidas à leucorrhœâ prorsus immunes esse experientia docet, qua constat, eas per intervalla, & non nunquam totum gestationis tempus hoc fluxu benigno vexari.

## CAPUT II.

### *De Fluoris albi Causis, & prognosi.*

#### §. I.

**C**Ausa proxima hujus fluxus est glandularum uterinarum & vaginalium atonia, seu relaxatio, quæ lympham suam continuò dimittunt, quæ per vaginam effluens fluor albus vocatur; quidquid igitur talem flacciditatem glandulis potest inducere, id floris albi causa remota dici meretur, uti sunt 1. Temperamentum Phlegmaticum, vel habitus corporis Cachecticus, quo viscida lymphæ in corpore abundans, & ad has glandulas copiosè derivata illas emollit, atque tonum earum destruit, quo factò lymphæ, ad uterum irrigandum, & vaginam humectandam aliàs destinata, per hiantia glandularum oscula nimia copia destillat.

2. Aër frigidus, humidus, crassus, & nebulosus, frequens, diuque admissus.

3. Cibus pleniori manu ingestus, acidus, crudus, viscidus, incrassans & infrigidans, nec non flatulentus, e. g. caro suilla, pisces lacustres, legumina, Acetaria, lacticia, caseus & fructus horræi, potusque v̄sus, acescens, Vapescens, glacie refrigeratus: v̄. ex solo paludoso scaturiens, & communi usui inserviens, ut causa floris albi Berolini frequentioris rectè accusatur *in Actis med. BEROL. d. 2. vol. 3.*



p. 25. vita sedentaria, tristitia, mœror, quæ omnia ad Cachexiam disponunt, *Puellam 8. annorum sacharo delectatam, & multum dormientem hunc morbum contraxisse* ex NESTERO refert J. H. JÜNGKEN im Leib: Arzt.

4. Mensium suppressio, vel inordinatus, & imminutus fluxus, quo non solum sanguis circa uterum congestus suo sero, quod secum fert, glandulas uterinas inundat, easdémque nimis relaxat, sed & dum superfluous sanguis stagnando, vel saltem tardè fluendo fit crassus, viscidus, vappidus, acris, totam reliquam massam humoralem inficit, & Cachexiam, fluoris albi matrem inducit; hinc etiam in iis, quæ mensium imminutione vel obstructione laborant, eo plerumque tempore se ostendit ille fluxus, quando natura sanguinem, sed irritato conatu, versus uterum amandat.

5. Nimius mensium fluxus, & omnes enormes hæmorrhagiæ ad hunc morbum disponunt, quoniam sc. post ejusmodi hæmorrhagias cum sanguine ipsi ~ animales deficient, quare totius corporis, omniumque partium, & propterea quoque uteri, ac glandularum uterinarum tonus labefactatur, imò propter vasorum humores deferentium atoniam sanguis, atque lymphæ non sufficienti impetu per vasa pelluntur, quare hic illic stagnantes vel tardè nimis commoti humores paulatim corrumpuntur & viscidi fiunt, unde tandem Cachexiæ & fluoris albo via sternitur.

6. Partus difficilis, vel abortus huic malo quoque sæpe præbent ansam, tam quia vehementiores hæmorrhagiæ in hisce casibus obortæ, modo supra exposito, leucorrhœam inferre solent, quàm etiam, quia glandulæ vaginales, & uterinae laborioso partu, vehementer premuntur, distenduntur, & quasi deteruntur, sicque tonus earum labefactatur.

7. Excretiones lymphaticæ ordinariæ, si supprimuntur, vel per longum tempus saltem imminutè fluunt, possunt  
etiam



etiam morbum hunc muliebrem efficere, hinc narium siccitatem aliquando hunc uteri affectum provocasse docet ROLLFINCK. *in Dissert. Anat.*

8 Catharticorum, vel Thermarum abusum originem hujus mali fuisse, præter multos alios medicos Practicos, observavit PLATERUS *in sua Praxi*. Ille sc. dum totius corporis humores, imprimis lymphaticos versus infimum ventrem copiose derivavit, hic verò, dum balneorum calor & squalor genitalia, partesque circumjacentes, & cum ipsis uterum, ac glandulas ejus emolliendo nimis relaxavit. Tandem

9. Miasma Æreum per impurum coitum fœminis communicatum, easdem ad fluxum album virulentum disponit, glandulas uteri & vaginæ sua acredine irritando, & quasi emulgendo, imò inflammando, & exedendo, unde fluor albus venereus, atque malignus contagiosusque exoritur.

#### §. II.

Quod prognosin attinet, hæc ex supra dictis nunc facile potest formari; si sc. in primo gradu constitutus adhuc est hic fluxus, tunc 1. haud quidem adeò vehementer affligit, & per longum tempus à multis patienter solet ferri, curatu tamen difficilis est, imprimis si ex menses suppressione ortum duxit, tunc enim Medico duplex negotium incumbit, ut sc. & menses promoveat, & fluorem album, non temerè sistat, sed cautè curet, id quod diuturnum remedium usum exposcit. 2. Quo diutius duravit, eo difficilius curatur, & curatus facile recrudescit, quoniam tonus glandularum semel destructus, & per longum tempus neglectus haud adeò facile restituitur, sed, dum jam in consuetudinem abiit, ob levem causam denuò vacillat. 3. Inveteratus hic fluxus, quamvis adhuc in primo gradu sit, tamen ad secundum gradum tractu temporis pervenire solet, dum mensium fluxum



fluxum paulatim imminuit, & tandem planè suppressit, sicque Cachexiam generat; quando enim per diuturnum fluxum album sanguis suo sero privatur, tandem crassior, & viscidus redditus non amplius sub menstruorum forma potest eliminari, sed impurus in corpore colligitur, accumulatur, & totam massam humoralem inficit, sicque eo ipso secundum fluxoris albi gradum constituit. 4. Quo magis deditæ sunt foeminæ cogitationibus vel actibus seis, eo difficilius hoc malo liberantur, quia libidine humores versus genitalia magis alliciuntur. 5. Falsum tamen est veterum dictærium, hunc morbum etiam in primo gradu adhuc versantem, manifestum deflorationis testimonium præbere, imo foeminas steriles reddere, siquidem contrarium quotidiana testatur experientia; confer. §. 7. Cap. 1.

Accedo nunc ad alterum leucorrhœæ gradum, quo non solum uterus, sed & tota massa humoralis afficitur, unde 1. hic affectus admodum rebellis & curatu difficillimus est, siquidem totam sanguinis & humorum molem corrigere, & simul jam diu durantem glandularum uterinarum atoniam plenariè tollere, res admodum ardua est, imprimis quando ægræ delicatulæ diætam accuratissimam servare recusant. 2. Profluvium hoc muliebri sæpè uteri vel potius vaginæ prolapsum excitat; dum enim uterus & vagina humoribus semper affluentibus continuo humectantur, ita tandem emolliuntur & relaxantur, ut interior vaginæ tunica nimis laxa extra pudenda promineat; ipsum etiam uterum interdum, relaxatis Sc. nimio humore ligamentis, extra genitalia propendere posse, testantur Authores quidam fide digni; quod si tamen hoc fit, certe rarissimum est. 3. Fluxus hic secundi gradus, si paulo diutius duravit, foeminas tandem reddit steriles, ita enim debilitatur uterus, & flaccescunt tubæ fallopianæ, ut neque semen virile recipere, neque ovu-



lum fecundatum ex ovario in uterum transmittere valeant: præterea mucoso humore ita repletus uterus, ut semen virile admissum non possit non mucos involvi, & quasi suffocari, in vetulis plerumque incurabilis est hic morbus. Incautè suppressum hunc fluxum excipiunt morbi gravissimi, non raro lethales, quoniam impurus humor, qui antea per genitalia effluxerat, nunc in corpore retinetur, acris fit, sanguinem ipsum ulterius inficit, & cum eo ad varia corporis loca translatus diversa drammata ludit; fluxum album suppressum mutatum fuisse in diabetem lethalem, refert BALLONIUS, arthritidem vel hecticam vel hydropem induxisse testatur NENTER. §. Tandem, nisi maturè & prudenter Medicus in auxilium veniat, serum illud viscidum & albicans fit acre, corrosivum, putridum, foetidum, coloris viridescens vel flavi, atque ipsum uterum aggreditur, eumque exulcerat, qui tertius fluxus albi gradus vocatur.

### §. III.

Quantum verò periculum involvat 1. corrosio tenerimæ uteri substantiæ, nemo Medicorum nescit; inde se. oritur ulcus vel inflammatorium vel canerosum. 2. Ulcera inflammatoria uteri cum ingenti dolore punctorio & febre inflammatoria juncta, plerumque in gangrænam & sphacelum lethalem citò abeunt, ægrasque supervenientibus animi deliquiis vel convulsionibus interimunt. 3. Si vero ulcera sunt canerosa (uti uterus imprimis ad cancerum contrahendum est pronus), præter dolorem & febrem inducunt vigilias perpetuas, effluunt è genitalibus præter ichorem foetidissimum, sanguinis grumi & carunculæ, foetidus quoque hic humor sanguini circulanti communicatur, unde gravissima hectica oritur, qua tandem absumtis viribus moriuntur.



§. IV.

Quòd si ulcera saltem vaginam uteri occupant, difficilis quidem est curatio ob continuum humoris acris affluxum, facilior tamen, quam exulcerationis uteri, quoniam medicamenta externa in illo casu promptius & immediate loco affecto possunt admoverti, vagina quoque non adeo tenera & sensibilis est, ac uterus: fluor alius malignus quandoque citius, quàm benignus, selectis medicamentis antivenereis & mundificantibus, tonicisque subjunctis tollitur: ineptis verò remediis intempestivè suppressus graviora symptomata inducit, quia benignus incongruè cohibitus.

## CAPUT III.

### *Tradit floris albi curam & diætam.*

§. I.

**Q**Uoniam hoc malum plerumque tam à glandularum uterinarum atonia, quàm nimio humorum affluxu dependet, indicationes sunt.

1. Ut humorum affluxus nimius ab utero revellatur.
2. Viscidi humores resolvantur & attenuentur.
3. Ut humores attenuati paulatim è Corpore eliminentur, &
4. Tonus uteri ac glandularum ejus restituatur.

Primo scopo satisfacere possunt. 1. laxantia lenia, iterato data ex rad. Polypod. pimpinell. alb. Caryophyllat. Helleb. nigr. fol. Senn. Herb. Meliss. Rosmar, Cort. Citr, agaric, trochisc. mac. & Tart. vino infus. quibus solis subinde hunc morbum sublatum fuisse referunt Auctores. Imprimis Commendanda sunt Rhabarbarina, quæ præter purgandi virtutem, gaudent etiam vi tonica & leniter adstringente, quæ hic admodum proficua sunt.



2. Cucurbitulæ scapulis & dorso impositæ suadente RIVERO.
3. Fonticulus in brachio vel pede excitatus *vid.* ARNOLD. & RIVER.
4. Frictiones totius Corporis frequentiores linteis primo mollioribus, mox asperioribus institutæ, quibus GALENUS *seucrem* BOETHI *inter 13. dies curasse testatur lib. 1. de præcogn. ad posth. c. 8.*
5. Vomitoria quoque sed leniora & in subjectis, *ἐμετρίοις* non sunt rejicienda; his enim cruditates è ventriculo eliminantur, quæ non rarò totam massam humoralem corrumpendo leucorrhœæ ansam dant. Præ cæteris verò emeticis eligenda est Rad. hypecacuan., quæ & ventriculum, & alvum leniter expurgat.
6. In eundem finem quoque interdum conducunt errhina, masticatoria, vesicatoria, setaceum, quo ultimo se mulierem quamdam diuturno hoc fluxu cum sterilitate laborantem curasse refert FABR. HILDANUS *curat. 41. cent. 1.*
7. Diaphoretica quoque profunt leniora fixa terrea ex. gr. ♂ diaph. simpl. & ♂ le CC. f. Δ. lap. cancror. unicorn. fossil. &c. ut & infusa theæformia radic. & herb. resolventium infra recensendarum calidè pota.
8. Diuretica mitiora & balsamica ex succino & therobinthina, nec non baccis juniperi parata non negligenda, fortiora verò, imprimis cantharides, quas alii in hoc affectu laudant, fugiat ægra, quia, dum urinam fortissimè ad mictum cruentum usque pellunt, possunt quoque humores in sanguine fundere, & ad venas atque uterum copiosè derivare.

## §. II.

Alter scopus est, ut visceri humores attenuentur; hic obtineri poterit infusis vel decoctis paratis ex rad. dauc. pimpinell. alb. Imperator. Angelic. Zedoar. Chin. sarsaparill.



rill. Gentian. filipend. lig. Sassafras & guajac. Herb. Rorismain. salv. meliss. menth. marrub. alb. puleg. origan. serpill. hormin. & floribus Chamæmel. galeops. flor. alb. (quorum florum decocto solo cum vino parato duas foeminas, aliis remediis irritis, curatas fuisse refert NENTER.) flor. Anth. cort. Cinamom. aurant. aliisque incidentibus & resolventibus decoctum, rorismarini cum vino in dyplomate paratum, & mane, in prandio, atque coena aliquamdiu haustum laudat LINDANUS. Præ cæteris hic comendari meretur rad. Pareir. brav., quæ incidendo & resolvendo, atque per urinam, interdum etiam per alvum eliminando viscidum serum, cachexiam, atque fluorem album sæpè feliciter aufert, teste PELARG. *in obs. Clin. ubi meminit foemina Cachectica, quæ unica dosi pulveris rad. Pareir. brav fuit restituta, multo muco cum ☐ reddito; & aliam fluore albo cum cachexia vexatam usu essent. Pareir. brav. ꝑsat. ut & pillul. ex extr. myrrh. balsam. & extr. cort. Winteran. parat. curatam fuisse narrat.* Huc quoque pertinent Essent. ex supra dictis radicibus vel herbis speciatim hormino florescente cum specifico paratæ, ut & Essent. Succini Myrrh. alexipharmaca stahlîi cum Tinct. cascarillæ mixta. Tinct. ♂ acris addito balsamo copaivæ exaltata. Tinct. ♂. ꝑsat. cum Essentia balsami Peruv. combinata ♂. stomachic. Birekman. & Cachect. Quercet. &c.

§. III.

His per aliquot tempus in usum vocatis, accedendum est ad tertium scopum, materiam sc. attenuatam paulatim è corpore eliminandi; hunc in finem remediis antecedentibus immiscenda vel denuò subjungenda sunt laxantia leniora Rhabarbarina supra commendata, vel Pilul. Becher. ver. s. stahlianæ, hic specificæ, quæ humores noxios per *exigant* debent evacuare, & propterea iteratis vicibus exhiberi.



## §. IV.

Tandem tonus uteri & glandularum vaginalium est restaurandus, quod fit partim remediis internis, partim externis. Internè profunt corallia, mater perl. lap. cancr. fuscinum, mastiche, olibanum, myrrha, nux mochata, os sepiæ, osteocolla, bol. armen., Terr. sigillat &c. cum sacharo in pulverem redacta, additis pro re nata, paucis guttulis essentiae macis vel ol. dest. menth. ac Mellissæ, vel cum conserva rosar. rubr. & Anthos, nec non syrupo cinamomi in electuarii formam composita.

Externè conducunt unguentum Comitissæ, quo dorsum & lumbi illinantur, ceratum de galbano regioni uteri impositum, suffitus ex Mastich. oliban. tacamahac. succino & nucista, genitalibus exceptus; caveant autem sibi à fumo Æii, quo aliquando gravissimam vertiginem inductam fuisse refert NENTER, & à balneis adstringentibus Osis, quibus ulcus circa orificium uteri molestissimum fuit excitatum. vid. Hist. Morb. Ura-  
zislav. anni 1703. p. 142. Thermæ verò Emsenses & serpentinae propè Schwalbachum cum ∇ font. sulfurantis (germ. Brodel-  
Wasser) ibidem mixtæ pro balneo, usu probatæ sunt.

## §. V.

Quod si vero Leucorrhæa jam ad tertium gradum accessit, quo sc. uterus inflamatur, vel exulceratur, tunc quàm maxime prudentia & solertia Medici requiritur; quare 1. occurrendum est feбри vel inflammatoriæ vel lentæ, alexi-pharmacis temperatis, diaphoreticis terreis, absorbentibus & Osis cum ∇ vis diapnoicis dandis. 2. Quia nervosus & sensibilis valdè est uterus, hujus nervi demulcendi & confortandi antispasmodicis imprimis fuscinatis & Ænis. 3. Ut sanguis à purulento vel inflammato utero infectus depuretur, inserviunt decocta radicum & lignorum, imprimis Pareir. brav. sarsaparill. Chin. Sassafras. & junip., præterea suadent



suadent non nulli Medici, ut ad discutiendam inflammationem injiciantur decocta herbarum & florum resolventium. v. g. abrotani, scord. salv. agrimon. fanicul. flor. Chamæmel. sambuc. Melilot. &c. cum  $\nabla$  parata.

Si tandem ad exulcerationem uteri perveniat malum, opera danda est, ut ulcera 1. maturentur, 2. mundificentur, & tandem 3. consolidentur,

1. Maturatio potest obtineri cataplasmate ex herbis emollientibus e. gr. Malv. Alth. Melilot. flor. Chamæmel. Melilot. verbasco. sem. lin. &c. addito croco cum lacte cocto pubi & genitalibus calide sæpius imposito.

2. Mundificari debent ulcera injectionibus ex decocto plantaginis, virgæ aureæ, veronic. hed. terrest. Agrimon. summit. centaur. min. fl. hyperici, & cui essentia Myrrh. aloes succini cum Melle rosat. admiscenda, simulque internè pilulæ ex therebinthina, mastiche, succino ppt. extracto veronicæ & bellidis minoris, nec non sanguine draconis cum balsam. Copaiv. parat m. & v. cum infuso herbarum traumaticarum exhibendæ, quibus denique ulcus maturum & mundificatum ad consolitutionem disponitur.

Quodsi tamen omnibus hisce frustra adhibitis, putrida & cancrofa fiat vagina uteri, vel ipse uterus, tunc extremis malis extrema sunt opponenda remedia. Quare pars vaginæ cancrofa vel gangrænosa cautè resecanda est, id quod periculo quidem plenissimum est, cum successu tamen aliquando factum fuisse commemorant Authores Medici. Si verò ipse uterus sit cancrofus, malum est prorsus incurabile.

## §. VI.

In fluore q̃eo & contagioso præmittantur & interponantur pil. purgantes ex extract. panchymag. Croll. resin. jalap. & q̃ dulc., dein ad virus q̃eum corrigendum & eliminandum exhibeantur decocta radicum & lignorum sarsaparil-



parillæ, Chinæ, Glyzyrrhizæ, guajaci, fassafr. & juniperi cum  
minera ꝑii Hungarica parata, nec non Tinctura ꝑii ꝑfat. vel  
ex regulo medicinali essent. lignor. myrh. succin, tandem-  
que correctæ materia noxia fluxus pulvere uterino tonico  
supra descripto circumspectè cohibeatur; injuncto simul  
debito victus regimine.

## §. 7.

In diætâ aër frigidus humidus & nebulosus vitiosisque  
effluviis infectus vitetur; calidus verò & siccus bene venti-  
latus, fumòque accens. succin. Mastich. & oliban. corre-  
ctus admittatur: cibus concoctu difficilis, viscosus, acidus,  
infrigidans, præpinguis & flatulentus, nimiusque fugiatur,  
eupeptus & boni succi, sale & aromaticis modicè conditus,  
speciatim nucista, maci, roremarino, salvia, majorana, bac-  
cis juniperi, cortice citri & aurant. sæpius & moderatè in  
usum vocetur, parciusque assatus magis, quam elixus cum  
pane bis cocto in fluxu albo virulento & inveterato maligno  
commendatur, simulque decoctum rad. farsapar. Chin. & Gly-  
zyrrhiz. c. lig. fassafr. & cinamom. pro potu ordinario biba-  
tur. In fluore albo benigno autem hauriatur vinum album  
vel rubellum bonæ notæ, subinde infusa recenti Melissa vel  
roremarino & cort. citr. recent. medicatum: potus geli-  
dus acescens vel vappescens vitetur.

Motus corporis blandus & frequens admodum condu-  
cit, quies verò nimia & vita sedentaria nocet, uti etiam  
somnus protractior cum vigiliis modum excedendibus: Al-  
vus respondeat naturæ vel arti: Animi pathemata graviora,  
imprimis mœror & tristitia, quantum possibile, arceantur.

Venus autem casta ad primum floris albi gradum  
à Medicis non sine ratione suadetur.



*Nobilissimo & Doctissimo Domino*

DEFENDENTI

S. P. D.

P R Æ S E S.

**O**btulisti mihi, Nobilissime & Doctissime Domine Defendens, Disputationis Tuæ Inauguralis materiem de Fluore albo, cui, ut derogarem nihil, nec addere, nec demere, nec quidpiam immutare placuit, quamvis me in pluribus tam circa divisionem & differentiam, quàm seriem causarum, Fluorem album attentium, à Tua mente alienum esse non diffitear. Interim, cùm ad obtinendam in hac nostra perantiqua Universitate Licentiam aspices, eâque septennalem Tuam, quam multo cum ægrorum solamine in Dieffenhoffensi districtu operosè hætenùs exercuisti, Praxin Chirurgico-Medicam nobilitare Tecum statueris; inde pro consueto more tentatus, rigorosè examinatus, approbatus, ac denique ad disputationem inauguralem admissus fueris, nec non in iis, quæ ad consequendos hos Academicos honores à Te exegimus, maturam non modò ingenii capacitatem, verùm etiam in Praxi Medica eruditionem abundè comprobaveris: noluimus proinde Tuis votis deesse, & desideratam Tibi Licentiam impertiri; de qua quemad-



modum Tibi animitus gratulor, ita voveo atque opto,  
 ut Academica hæc Prærogativa cedat ad Majorem  
 Dei Gloriam, ægrotantium Proximorum, Tuæ curæ  
 commissorum, Salutem, & uberrimum Præcios Tuæ  
 Medicæ incrementum. Dabam è musæo Heidel-  
 bergæ duodecimo Calendas Aprilis MDCCXXXIX.

---

**F**elix est Medicus, cuncto qui tempore vitæ  
 Invigilat studiis, ingeniumque colit.  
 Hoc claro Perdocte tuo Specimine monstras,  
 Sicque tuis studiis præmia digna capis.  
 Det Deus, ut possis cunctos sanare dolentes,  
 Pectoris ex imo prospera cuncta precor.

His Nobilissimo & Doctissimo Domino Eppli  
 amico suo dilectissimo cum voto omni-  
 genæ felicitatis gratulatur

JOH. MATTH. SCHMEDES, Med. Doct.

---

**G**recht! Mein werther Freund/ so muß man Ehr erlangen/  
 Daß man im Musen-Pracht und Ehren-Zierd kan prangen/  
 Wann man durch Müh und Fleiß / und viel Erfahrungheit /  
 Bey Zeiten zu der Kunst und Tugend sich bereit:  
 Wer sich zu seinem Zweck selbst die Natur erlesen/  
 Worinnen Gottes Hand / sein Macht und ewig Wesen  
 Mit voller Allmachts-Krafft und Weißheit ausgedrückt /  
 Macht sein Gemüth bey Zeit zu solcher Kunst geschickt;  
 Diß / Werther Eppli / hast von Jugend observiret /  
 Und dein Gemüthe stets in dieser Kunst gezieret /  
 Dich hat kein Müh gedauert / kein Hiß / kein Frost / noch Kält /  
 Zu solcher Wissenschaft zu kommen in der Welt:



Du hast vorlängsten schon die Praxin exerciret /  
 Und manchen Patient mit gutem Glück curiret :  
 GOTT rüste ferner dich mit vielen Gaben aus /  
 Und seegne mit viel Hehl dein ganzes Ehren-Haus.  
 Glück zu / Herr Eppli / dann / Glück zu dem Tag der Ehren /  
 Es müsse sich dein Lob durch deine Kunst vermehren :  
 Drum / wie dein Vaterland dich längst admiriert /  
 So wirst du billig auch auf heute promovirt.

Dieses wenige setzte dem Hoch-Edlen Herrn Candida-  
 ten / als seinem werthgeschätzten Freund zu bestän-  
 dig-geneigtem Andencken.

J. P. MÜLLER dictus WOHLHEIMER, Mann-  
 hemio-Palat. Medicinæ Doctor.

**D**UM, VIR CLARE, *album* monstrant hæc scripta *fluorem*,  
 Marsupium nummîs hic *fluor albus* alat.  
 Sic merito Pallas tantos largitur honores,  
 Cum cerere ut vigeant Bacchus, Hygæa, Venus.  
 Eja EPPLI! delarvatum velamine PEPLI  
 Hippocratem, summa non sine laude, cole.

Tantum

Nobilissimo ac Doctissimo Domino Candidato

Amicitia ergò gratulabundus apponere  
 voluit,

E. B. WEGELE, M. C.

**S**O ist's / Geehrter Freund! dein Gleiß verbirgt sich nicht /  
 Er darff sich ohngescheut in diesen Tempel wagen /  
 Wo Meditrine wohnt / sie darff dich sicher fragen /  
 Und prüffen deine Kunst / nach ihrem wahren Licht :  
 Ja wann ein anderer dem Doctor-Hut entspricht  
 Mit Prahlerey und Gold / daß er an sich hat hangen /  
 Ranst du mit Wissenschaft und der Erfahrung prangen /  
 Die nicht ein blödes Aug mit Blendereyen sticht,



Und das verdient mit Recht den werthen Ehren = Kranz /  
 Dem sonst manch leerer Topf den hochbeliebten Glanz /  
 Durch seinen Schatten schwächt / der deinen Scheitel decket.  
 Glück zu! Gepriesener Freund! komm in dein Vaterland /  
 Und mach als Doctor da sowohl als sonst bekannt /  
 Was vor Verstand und Heyl in deinem Wissen steckt.

**D**Ivas cur Medicas habet Artes cana Vetustas?  
 Scilicet ex Cœlo nomen & omen habent:  
 Non Epidaurius aut Serpens non magnus Apollo est,  
 Quorum in Præsidio vita salusque sita:  
 Sed DEus omnipotens qui destruit atque reducit,  
 Qui solet afflictis ferre salutis opem,  
 Qui Christum vitæ fontem Mortalibus ægris  
 Obtulit, ac aufert triste cruore nefas:  
 Tot, scis, Corporibus tulit ægris ipse salutem,  
 At quoties animis certa medela fuit?  
 Hic mœstam Mortem, nulla quæ vincitur arte,  
 Mitigat, & vitæ spem melioris alit.  
 O bene felicem Medicum! qui, cùm Duce Christo  
 Accedit cultis Palladis arte viris,  
 Speque fideque DEO sapienter consecrat artem,  
 Quam colit, & cui cor de meliore luto.  
 Sit tibi jam Summi Medici propensa Voluntas!  
 Ac faveat cœptis omnibus ille tuis;  
 Permittat medicis manibus depellere morbos,  
 Sic Homini carus sic potes esse DEO.

Φιλίας εἰς χάριν V. S. L. M.

ALEXAND. BALDINGERUS, S. Min. C. Scaphusiâ Helv.



**G**laub / Herr Eppli / heut / daß ich mich mit Dir freue /  
 Da nun die Ehren-Cron auf deinem Haupte steht /  
 Und daß ich in die Gluth der Wünschen Weyrauch streue /  
 Aus welcher Dir anseht der Ehren-Glanz auffgeht.  
 Die Ehr / nach deren Du niemahlen woltest streben :  
 Dich dünckte Ehr genug ein Chirurgus zu seyn :  
 Du woltest jederman also zu Dienste leben /  
 Und mancher Patient sich fande bey Dir ein.  
 Doch war dein Edler Geist noch nicht damit vergnüget /  
 Es ware dessen Trieb nach Höher'm stets gericht :  
 Drum hat der Himmel es auch endlich wohl gefüget /  
 Du fand'st in Heydelberg / was du gesucht nicht.  
 Die Liebe trieb Dich nur den Schwager zu curiren /  
 Und woltest deiner Kunst ablegen eine Prob ;  
 Nun thut / o Wunder ! Dich / wie du verdiennet / zieren /  
 Ein schöner Ehren-Nahm / zu deinem größten Lob.  
 Wohlan ! gekrönter Freund ; wer will die Wünsche wehren ?  
 Ich ruffe Dir viel Glück mit tausend andren zu :  
 Erfreu dich im genuß der neu-erlangten Ehren /  
 Die du bisher vermist / du / werther Eppli / du !  
 Geh hin dem Kranckheits-Heer den Krieg nun an zukünden /  
 Und treibe manchen Pfeil des blaffen Todes zurück /  
 Laß ihn von deiner Kunst die edle Krafft empfinden /  
 Und werde mehr berühmt durch manches Meister-Stück.  
**G**OTT segne deinen Rath die Feinde zu bezwingen /  
 Daß / wann dein Nahme nun der Sieges-Reichen voll /  
 Du mögest allemahl die Hoffnung mit Dir bringen /  
 Wo du zum Krancken gehst / daß er genesen soll.  
 Es paare sich das Glück mit deinem Ehren-Stande :  
 Es falle deinem Ruhm noch andrer Segen bey :  
 Es glücke alles Dir in deinem Vatterlande /  
 So wünschet / wer Dich kennt / und rufft : Es sey ! Es sey !

So wolte seinem Hochwerthesten Freund  
 zu dessen Ehren-Promotion mit frohem  
 Herzen gratuliren.

Johann Henrich Backoffen / Helvet. Tig.



**A**uf! Diessenhoffen auf! der Freude Platz zumachen;  
Auf! auf! laß lauter Lust aus deinem Herze lachen:

Laß Reden Frölichkeit / und Wort Frolocken seyn!

Herr Eppli / deine Zierd / und auserwählte Freude!

Der Tugend Muster-Bild / der seinen Augen-Weide!

Eringt durch die Tugend-Pfort zum Ehren-Tempel ein.

Ja! ja Herr Vetter / reißt mit mir von Haus / ohn Hoffen /

Daß ihm zu Heydelberg ein solche Ehr stünd offen:

Mein Herze selber dacht auch an dergleichen nicht.

Nun muß o Wunder! ich mit meinen Augen sehen /

Die schönen Lorber-Zweig auf seinem Haupte stehen /

Die dort Appollos Heer ihm selbstem zugericht.

Drum will ich meine Freud / Herr Vetter / an Tag legen:

Ich wünsch der grosse GOTT verleyh Ihm seinen Segen!

Er segne seinen Fleiß / Er segne seine Hand /

Damit Er viele mög durch seine Kunst erquicken /

Und sein Liebwertthes Haus durch seinen Ruhm beglücken /

Zu grosser Ehr und Freud der'n / die ihm seind verwandt.

Mit diesen Glück-winschenden Zeilen wolte seine  
Affection und Freude seinem Hochgeehrte-  
sten Herrn Oncle bey dessen Ehren Promo-  
tion schuldigst an den Tag legen desselben ge-  
horsamster Neveu.

Johann Conrad Hannhardt / von Diessenhoffen  
aus der Schweiz.

